

Ovtinam nostros conatus vsque iuuare
 Quis posset facili munificaque manu.
 PAUPER vbique iacet: nec eum qui subleuet, vllus:
 Paupere sæpe latent magna talenta casa.
 Tempus adest id, vt exsurgat de stercore pauper
 Confortante manu cunctipotentis HERI.
 Implebitque bonis inopes, saturabit egenos,
 Ambrosiæ diuæ quos tenet alta fames.
 Atque propinabit Diuini flamma V A T I S
 ESDRÆ, his qui sitiunt, pocula, crede mihi.
 Econtrà calicem furibundo flumine plenum
 Iræ diuinæ, vindice, crede, manu
 Euacuandum tot furiosis hostibus Almæ
 IOVA Crucis, nigra non sine fece dabit.
 Impia turba Caue, Resipisce, amplectere CHR I S T I
 Omnipotens VERBUM Cœligenumque sonum.
 Oscula submiti Cœlorum fertō Parenti
 Submissa, ac humili fundito voce preces.
 Hortatur Psalmo ceu te Psalmista secundo,
 Oscula fer GNATO, ne peritura sies.
 Tempora iam præstō sunt infœlicia, Mundum
 Puniat vt gladio vindice, peste, fame,
 Ira succensus. Solio surrexit ab alto,
 Hostes conculcet toto vt in orbe Deus:
 Ante oculos manifesta quidem spectacula videmus,
 Nec tamen apparet vir probitatis amans.
 Diuitiis inhiet fluxis modò tetus vt ORBIS?
 Cœlestes negligens altitonantis opes;
 Ipse vides mecum Tanckilectissime, abundè.
 Ludicra Mundus amat, diuitiasque colit.
 Thesauros quærit: Thesaurum Cœlitem, IESVM
 Respuit: Humana en VOX magè VOCE DEI
 Iam cordi est, qui nos ad sese inuitat amanter,
 A semet SOLO DISCERE nosq; iubet.